

per creationem, cum de potentia materiae non educatur, ut dictum est, nec ex materia composita, ut sic possit generabilis esse vel per se, vel per accidens. Ergo videtur quod mediantibus Angelis producta non sit.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est, res sub quodam ordine à primo principio produisse quidam Philosophi opinati sunt: posuerunt enim à primo principio, quod Deus est, eo quod est unum & simplex, non potuisse immediate plura prodire, eo quod idem narum est facere idem: (c) & ideo à primo immediate procedit intelligentia prima, in quam incidit, ex eo quod ab alio esse habet, quaedam pluralitas potentiae, & actus: & ita ab hac intelligentia, secundum hoc quod intelligit primum principium, dicunt effluere secundam intelligentiam, quae est minoris actualitatis quam prima causa, cum causatum sit deficienti à sua causa essentiali; secundum autem quod intelligit se, prout est in actu, fluit ab ea anima orbis, quem movet; & secundum quod considerat se: quantum ad id quod est in ipsa potentia, fluit ab ea ipsa substantia orbis; & sic deinceps usque ad ultimam intelligentiam, quae movet ultimum orbem, quam dicunt intelligentiam agentem; & ab hac dicit Avicenna, de intellig. cap. iv. divis. 3. effluere animas humanas, & omnes alias formas substantiales in istis inferioribus: & materiam generabilem, & corruptibilem reducant sicut in causam in substantiam orbis; & diversas variationes quae circa materiam accidunt, reducant sicut in causam in motus celestes; & omnes has causas medias, sicut & primam, ponunt agentia essentialia, quae causant essentiam rei sine motu; non autem sunt causa fiendi tantum per motum, sicut causae agentes naturales: & ideo omnibus intelligentiis attribuunt quemdam modum creationis, secundum quod eorum actio nihil praesupponit ex parte rei quae producit, sed tantum ex parte agentis, cujus actio firmatur super actionem causae superioris, ut sic sola actio primi principii possit vere dici creatio, quae non firmatur in alterius actione, sed in ipsa firmatur ceterae actiones. Haec autem positio debile habet fundamentum, sicut etiam Commentator ostendit in XI. Metaph. comm. xxx. quia cum dicitur actio de Deo, & de rebus naturalibus, est quasi aequivoce dicta: quia in naturalibus agentibus actio sequitur ex necessitate formae, unde secundum unitatem formae oportet esse unitatem in effectu; sed in divinis actio sequitur intellectum: & ideo secundum quod diversa ab uno possunt intelligi, ita diversi effectus ab uno immediate procedere possunt; & secundum hoc multitudo à Deo processit, prout se intellexit ut ideam plurium, id est ut participabilem diversimoda imitatione. Ipsa etiam positio veritatis fidei non consonat, quae solum Deum creatorem enuntiat: in quo omnis idolatria tollitur, cui proculdubio maximum fomentum dicta opinio ministrat: unde secundum fidem non potest poni aliquid esse causa alterius post Deum, nisi per viam motus, & generationis; & ideo omnium eorum quae per generationem non inceperunt, oportet Deum immediatam causam ponere, ut sunt Angeli, animae, substantiae celo-

rum, & materia elementorum, & primae hypostases in omnibus speciebus. Dicta etiam positio tollit honorem animarum sanctarum, quibus promittitur Angelorum aequalitas Matth. xi. in consecutione ultimi finis: quod non posset esse, si causa essentialis animae Angelus esset, cum esse causati semper dependeat à sua causa essentiali, sicut & Anselmus probat, Lib. I. *Cur Deus homo* cap. iii. quod reparatio humani generis per Angelum fieri non debuit, ne dignitati animarum derogaretur. Sequeretur etiam aliud inconveniens, quod ultima beatitudo animarum non esset in divina fruitione, sed potius in fruitione Angelorum: quia ultima perfectio ad quam res potest pervenire, est haec ut conjungatur suo principio: & ideo à Philosophis ponitur ultimam felicitatem hominis esse in continuatione intellectus possibilis ad intelligentiam agentem, sive talis continuatio sit in hac vita secundum quosdam, sive post hanc vitam secundum alios.

Ad primum ergo dicendum, quod in hac materia auctoritates Libri de Causis recipiendae non sunt: quia ille (d) qui Librum illum composuit, huius erroris auctor fuisse invenitur; nisi quis velit exponere; quod est praeter nostrum propositum.

Ad secundum dicendum, quod illa ratio, si vim habeat, concludit quod nihil à Deo immediate causetur, quia omne quod est praeter ipsum, finitum est; nisi forte secundum aliquem modum substantias separatas infinitas esse ponamus, non simpliciter, sed secundum quid, scilicet versus inferius, ut in Lib. de Causis dicitur, hoc est secundum quod earum virtus non limitatur ad determinatos effectus in his quae suae operationi subduntur: quo etiam modo infinitatem habet anima rationalis tam ex parte intellectus agentis, quo est omnia facere, quam ex parte intellectus possibilis, quo est omnia fieri, & cuius est formam universalem recipere, in qua sunt potentia infinita singularia: quod est etiam evidens argumentum immaterialitatis ipsius animae, & quod ex traduce non fit: quia omnis forma materialis finita est, ut in VIII. Physic. probatur. Et ideo ad rationem illam dicendum est, quod etiamsi Deus sit infinitus simpliciter, effectus tamen ejus dupliciter limitatur. Primo, & principaliter ex ordine sapientiae ejus, quae cuilibet rei certos terminos praefigit. Secundo ex parte recipientis, quia influentiam agentis recipit patiens per modum virtutis suae, & non per modum virtutis ipsius agentis.

Ad tertium dicendum, quod etiam in corporalibus non ponimus superius esse causam inferioris, nisi per modum moventis, & generantis: & haec in substantiis spiritualibus non ponimus, quia per generationem, & motum in esse non producuntur; sed tamen sicut superiora corpora movent inferiora ad generationem, ita superiores substantiae spirituales movent inferiores ad propriam operationem, secundum quod Dionysius dicit, coel. Hier. cap. xiii. inferiores Angelos à superioribus illuminari, & homines ab Angelis.

Ad quartum dicendum, quod quaelibet res tendit in finem ultimum per propriam operationem; & ideo secundum quod per illuminationem superiorum inferiores illuminantur ad proprias operationes, dicuntur per eos in Deum reduci. Non est enim inconveniens ut una creatura ponatur causa motus, vel

operationis alterius. Sed non est similis ratio de exitu rerum à primo principio: quia res non exit à suo principio per hoc quod aliquid operetur, sed solum per hoc quod aliquid à principio recipiat.

Ad quintum dicendum, quod si intelligatur anima participare operationem intellectualem ab intelligentia, hoc modo quod potentia intelligendi insit animae per virtutem intelligentiae, haeticum est, & redit in dictum errorem, quia potentia intelligendi sequitur naturam animae; si autem intelligatur hoc modo quod anima juvetur in sua operatione per illuminationem Angelorum, ex hoc non potest concludi quod anima secundum suam naturam ab Angelis creata sit: non enim à quocumque juvatur res, vel movetur ad opus, ab eo esse habet.

ARTICULUS III.

Utrum anima sensibilis sit ex traduce.

I. P. quæst. cxviii. art. i. & de pot. quæst. iii. art. ii. & quodlib. x. art. ii. & II. cont. Gent. cap. lxxxii.

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur quod etiam anima sensibilis non sit ex traduce. Nulla enim substantia simplex perfecta in esse quae sit hoc aliquid, educitur in esse nisi per creationem. Sed anima sensibilis est huiusmodi substantia. Ergo &c. Probatio media. Illud quod est tantum forma, & non hoc aliquid, non potest esse motor: unde in VIII. Physic. text. xxix. Philosophus vult quod forma ignis non sit motor in motu ejus naturali: non enim potest habere perfectam & absolutam actionem quae debetur motori qui non habet esse perfectum. Sed anima sensibilis est motor in animali. Ergo est hoc aliquid habens esse perfectum: & quod sit simplex, per se patet.

2. Praeterea. Commentator dicit in III. de Anima com. iv. & v. quod non potest esse aliqua virtus cognoscitiva ex commixtione elementorum. Sed ea quae producuntur per actionem naturae in inferioribus elementis, producuntur per actionem qualitatuum activarum, & passivarum elementorum commixtorum, eo quod nulla virtus activa est in istis inferioribus, nisi per qualitates elementares, ut Commentator dicit XI. Metaphys. com. xxxi. Cum ergo anima sensibilis sit virtus cognoscitiva, videtur quod non per operationem naturae traduci possit, sed per creationem in esse producat.

3. Praeterea. Omnis operatio naturae inferioris reducitur in virtutem celestem, sicut in virtutem primi alterantis. Sed per virtutem caeli anima sensibilis educi non potest, cum corpus celeste inanimatum sit, & nihil agat ultra suam speciem, quia effectus non potest esse potior causa agente. Ergo videtur quod non per operationem naturae, sed per creationem in esse educatur.

4. Praeterea. Eorum quae sunt idem secundum substantiam, non potest unum creari quin alterum creetur. Sed in homine anima sensibilis, & anima rationalis sunt idem per essentiam. Ergo videtur, cum anima rationalis non traducatur, sed creetur, quod similiter nec anima sensibilis. Sed secundum animam sensibilem non differt homo à bruto. Ergo videtur quod etiam in brutis anima sensibilis sit per creationem.

5. Praeterea. Quanto aliquid est nobilius, tanto nobiliorem causam habet, vel saltem non minus no-

In II. Sent. Tom. II.

bilem. Sed anima sensibilis nobilior est in animalibus perfectis quam in generatis ex putrefactione. Ergo cum in generatis ex putrefactione non possit poni anima sensibilis ex aliquo principio naturali produci, cum non generentur ex sibi similibus, & ita oportet quod à principio supernaturali animam sortiantur, videtur quod multo fortius hoc necessarium sit in animalibus perfectis.

Sed contra est quod dicitur Gen. 1. 20. *Producant aquae reptile animae viventis.* Sed aquae non producunt nisi illud quod virtute naturae producit. Ergo videtur quod per virtutem seminalem rebus collatae animae sensibiles producantur.

Praeterea. Philosophus dicit in XVI. de animalibus, seu de gener. anim. Lib. II. cap. 111. ant. med. quod intellectus solum ab extrinseco est. Ergo videtur quod anima sensibilis non sit ab extrinseco.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod circa hanc questionem diversae inveniuntur opiniones & Philosophorum, & etiam Magistrorum.

Quidam enim Philosophi, ut Plato, Avicenna, & Themistius, posuerunt omnes animas à principio separato esse: quod quidem principium Plato ideam posuit, Avicenna intelligentiam agentem, & Theologi hanc viam tenentes, ipsum Deum. Ratio autem quae praedictos Philosophos movit, ut Commentator narrat VII. & XI. Metaph. comm. v. est sumpta ex animalibus putrefactis, quae etiam obijciendo arg. 5. tacta est: & similiter ex hoc quod in naturalibus nihil invenitur agens nisi forma accidentalis, ut calor, & frigus, quorum actione non potest anima produci, cum nihil agat ultra suam speciem. Sed tamen advertendum est, quod nullus Philosophus inter animam sensibilem & alias formas substantiales distinguit quantum ad originem: quia praedicti Philosophi omnes formas substantiales esse à principio separato posuerunt, tam animam sensibilem, quam formam lapidis, vel ignis.

Alii vero, ut Aristoteles, & Commentator ejus, qui ponunt formas alias materiales ex potentia materiae educi virtute agentium naturalium, ponunt etiam animam sensibilem, & vegetabilem ex traduce esse, eo quod esse formarum naturalium non est ipsarum absolute, sed ipsorum compositorum: non enim per se possunt subsistere: & ideo ipsis formis per se loquendo non acquirunt esse, sed substantiis compositis: unde forma per se loquendo neque fit, neque generatur, sed compositum. Et quia omne quod generatur, generatur ex sibi simili, ideo oportet quod generans, vel inducens ad formam, sit compositum ex materia, & forma, & non forma tantum, vel substantia separata: & in hoc sustentatur Aristoteles in VII. Metaphys. text. lxxx. & per eandem rationem ostendit in XVI. de animalibus, ut supra, animam vegetabilem, & sensibilem non ab extrinseco esse, ostendens eas esse formas materiales ex hoc quod operationes exercent mediante corpore: quod enim habet esse absolutum à materia, habet etiam operationem à materia absolutam. Et ideo vult quod omnia principia, vel virtutes quarum operationes non exercentur sine corpore, non sint ab extrinseco, sed ab agente corporali; & quod intellectus solus sit ab extrinseco, quia ejus operatio est sine corpore, & etiam ejus esse absolutum est: unde sibi debetur factio non tantum per accidens, sed etiam per se, ut esse incipiat: & oportet tunc quod hic sit secundum

mo-

modum sibi competentem, & à principio separato. Alii vero Philosophi attenderunt ad ipsas formas, ac si eis per se fieri deberetur; & ideo posuerunt omnes formas esse à principio formali separato.

Sed positio Aristotelis multo rationabilior est: quia nihil incipit, vel fit, vel generatur, nisi secundum modum quo esse habet: & ideo concedimus animam sensibilem, & vegetabilem ex traduce esse. Modus autem traditionis talis est: cum enim omne agens univocum, & proximum inducat speciem suam in patiente, & cibus, secundum quod est patiens, & alteratum, in nutrimentum corporis cedat, quia nutrit secundum quod est potentia caro, ut in I. de gener. text. xxxix. & in II. de Anima, à text. xlv. usque ad l. dicitur, oportet quod in fine speciem, & virtutem nutrimenti recipiat. Ante ergo ultimam assimilationem, quando efficitur actu pars determinata, ut caro, vel os, est in eo virtus speciei indeterminata ad hoc vel illud, quia determinatio ad hoc vel illud est secundum propriam virtutem determinatam patris: & ideo cum semen sit residuum ultimi cibi propinquissimi ad ultimam conversionem, est in eo potentia totum, & non actu aliqua pars; ante vero quam resolvatur per actum virtutis generativæ separatum à reliquo sui generis, est in eo potentia illa indistincta; sicut forma totius non est in parte nisi in potentia; quando autem separatur, efficitur actu habens talem potentiam, vel formam; sicut etiam videmus in animalibus annulosis, in quibus, secundum Philosophum, una est anima in actu, & plures in potentia: unde quando dividuntur, efficitur qualibet pars animata habens animam distinctam. In hoc tamen differunt, quia propter parvam differentiam organorum in illis animalibus, pars est fere toti consimilis; & ideo in parte remanet anima perfecta, sicut erat in toto: semen autem, deciduum nondum est actu simile toti, sed in potentia propinqua; & ideo non remanet post divisionem animæ in actu, sed in potentia: propter quod dicitur (a) II. de Anima, quod semen in potentia vivit, & non actu. Hæc autem potentia non est passiva in semine maris, sicut dicimus ligna, & lapides esse in potentia domus, sic enim est potentia in menstruo mulieris, sed est potentia activa, sicut dicimus formam domus in mente artificis esse potentia domus: unde arti comparat eam Philosophus in XVII. de animalibus, seu de gener. animal. Lib. II. cap. xx. & hanc potentiam Avicenna, & Commentator in VII. Metaphys. vocant virtutem formativam: quæ quidem virtus quantum ad modum operandi media est inter intellectum & alias vires animæ. Aliæ enim vires utuntur in suis operationibus determinatis organis, intellectus autem nullo; hæc autem utitur aliquo corporali in sua operatione quod nondum habet determinatam speciem; subjectum autem, & organum hujus virtutis est spiritus vitalis inclusus in semine: unde ad continentium hujusmodi spiritum, semen est spumosum, & hæc est causa albedinis ejus. Huic autem spiritui con-

Ex Edit. P. Nicol. (a) Ex XI. de Animalibus exemplaria Gothica citant. Utrinque porro colligi potest XI. quidem de animalibus qui nunc est I. de partibus animal. cap. 1. versus finem; II. autem de Anim. text. x. ubi dicitur: *Non est illud quod abiecit animam, potentia existens ut vivat; semen autem, & fructus potentia hujusmodi corpus est.* Sed & Lib. II. de gener. anim. cap. v. fere sub finem expressius, ubi etiam artis, & seminis comparisonem præmittit paullo infra notatam; non, sicut prius, Lib. XVII. de animal. qui de gener. animal. tertius est. (b) XVI. de animal. sive Lib. II. de gener. anim. qui cum XVI. de anim. coincidit, partim cap. 1. ubi calore animalis generationem fieri ait, partim cap. 111. ubi aliquid in semine inesse addit, quo fecundum reddatur; idque calorem esse dicit ab elementari & solari distinctum, elementari tamen respondens. Nec tale quidquam de calore Lib. XV. de animal. qui prius tamen indicabatur, sive I. de gener. anim. qui ei correspondet.

jungitur virtus formativa, magis per modum motoris quam per modum formæ, etsi forma ejus aliquo modo sit: unde dicit Commentator in VII. Metaph. comm. 111. quod includitur in semine virtus illa quodammodo sicut uniantur motores orbibus. Illi autem corporali spiritui conjungitur triplex calor: scilicet calor elementaris, qui est sicut instrumentum resolvens & consumens, & hujusmodi operans; & calor animæ, qui est vivificans; & calor cæli, cujus virtute movet ad speciem determinatam: & virtute hujus triplicis caloris, virtus formativa convertit materiam à muliere præparatam in substantiam membrorum per modum quo est transmutatio corporis in augmento, ut (b) XV. de animalibus dicitur; & secundum quod proceditur in perfectione organorum, secundum hoc anima incipit magis ac magis actu esse in semine, quæ prius erat in potentia; ita quod conceptum primo participat opera vitæ nutritivæ, & tunc dicitur vivere vita plantæ, & sic deinceps donec perveniat ad completam similitudinem generantis.

Ad primum ergo dicendum, quod anima sensibilis nullo modo est hoc aliquid: quia nec habet aliquam partem sui, per quam individuetur; nec habet esse subsistens, & absolutum, cum nulla ejus operatio sit nisi mediante corpore; nec hoc ipsum quod est movere motu progressivo, facit sine organo corporali. Est enim duplex virtus motiva, una imperans, & altera imperata. Imperans est virtus appetitiva sensitiva, cujus actus constat quod non est sine organo corporali. Virtus autem motiva imperata, & exequens motum, est vis quædam musculus, & lacertis affixa, quorum motu totum corpus movetur. Et sic patet quod in motu animalis hæc operatio quæ est movere, non est animæ sensitivæ secundum se, sed mediante organo corporali: unde non sequitur quod esse absolutum habeat.

Ad secundum dicendum, quod ex actione qualitatum elementarium sequitur aliquid dupliciter. Uno modo ex ipsis secundum se, sicut sapor, & odor, durum, & molle, & alia quæ determinantur in IV. Meteor. cap. 11. & seqq. & sic nec anima sensibilis, nec aliqua forma substantialis ex actionibus earum sequitur: quia sequeretur quod formæ substantiales ex necessitate materiæ inducerentur, ut Empedocles dixit. Alio autem modo sequitur aliquid ex eis sicut ex instrumentis, ut dicit Philosophus in II. de Anima, text. xl. & xli. quod ignis in motu augmenti est sicut instrumentum regulatum: sed principaliter agens, & regulans est virtus animæ dirigens in determinatam quantitatem. Et similiter dico, quod ex actionibus qualitatum activarum sequitur anima sensibilis, & aliæ formæ substantiales secundum quod in eis ut instrumentis manet virtus animæ, vel alterius substantialis formæ, & ipsius cæli: & ideo non oportet, cum non agant in virtute sua tantum, quod ex actionibus earum nihil sequatur ultra earum speciem, quia ex motu instru-

menti sequitur effectus secundum rationem principalis agentis.

Ad tertium dicendum, quod supposito secundum fidem nostram quod cælum sit corpus inanimatum, nihilominus tamen ponimus quod motus ejus sit ab aliqua substantia spirituali, sicut motore: & cum motus sit, actus motoris, & mobilis, oportet quod in motu non tantum relinquatur virtus corporalis ex parte mobilis; sed etiam virtus quædam spiritualis ex parte motoris: & quia motor est vivens nobilissima vita, ideo non est inconveniens, si motus cælestis, in quantum est in eo intensio, & virtus motoris, per modum quo virtus agentis principalis est in instrumento, est causa vitæ materialis, qualis est per animam sensibilem, & vegetabilem.

Ad quartum dicendum, quod quamvis homo, & equus in hoc convenient quod est sensibile, non tamen oportet quod anima sensibilis sit unius rationis in homine, & equo: quia homo, & equus non sunt unum animal in specie: unde in homine anima sensibilis est multo nobilior quam in aliis animalibus quantum ad principales actus, ut patet in actibus interiorum sensuum, & in operatione tactus, qui est principalis sensus: in omni enim toto potestativo potentia inferior superiori conjuncta perfectior invenitur, ut potestas præpositi multo excellentior est in Rege. Anima autem sensibilis in homine per essentiam conjungitur animæ rationali, & ideo totum est per creationem. Sed tamen modus traditionis seminis est similis in homine, & in aliis animalibus, quia in semine hominis est etiam virtus formativa, sicut in animalibus; sed quia actio illius virtutis est materialis, ut dictum est, non potest actio ejus pertingere ad essentiam immaterialem; sed tamen per actionem hujus virtutis primo consequitur conceptus vitam nutritivam, & postea vitam sensitivam. Sed quia, ut Avicenna dicit, de natura animal. cap. ix. & de anima part. v. cap. vii. in hoc processu sunt plurimæ generationes, & corruptiones, sicut quod semen convertitur in sanguinem, & sic deinceps; quando venit ad secundam perfectionem, prima perfectio non manet eadem numero, sed acquiritur simul cum acquisitione secundæ: & sic patet quod in infusione animæ rationalis (1) homo simul consequitur in una essentia animæ animam sensitivam, & vegetativam; & priores perfectiones non manent eadem numero.

Ad quintum dicendum, quod in animalibus generatis ex putrefactione virtus cæli, ut Commentator dicit in VII. Metaph. com. xxxi. supplet locum virtutis formativæ in semine: hujusmodi enim animalia propter sui imperfectionem non requirunt tot ad sui generationem sicut animalia perfectiora, in quibus oportet quod cum virtute cælesti adsit in semine virtus animæ à patre derivata: est enim virtus cælestis in omnibus corporibus inferioribus sicut virtus motoris in moto, ut inducat unumquodque in speciem secundum materiam dispositionem: & hæc virtutes cælestes in elementis receptæ vocantur à Philosopho in XVI. de animalibus, vel de gener. animal. Lib. II. cap. 111. virtutes animæ, quibus omnia elementa plena dicit, eo quod hujusmodi virtutes sunt sufficientes ad animationem materiæ, si pertingant ad aliquam complexionis æqualitatem.

EXPOSITIO TEXTUS.

AU. si de pedibus (2), ad servitutem subjicienda. Non videtur esse verum per hoc quod dicitur Genes. 111. 16. *Sub viri potestate eris.* Et dicendum, quod hoc in penam mulieris inobedientis inductum est. Vel dicendum, quod non est sub potestate viri per modum servitutis, sed per modum gubernationis.

Ideoque potius de illo addito quam de ipsa costa mulier facta deberet dici. Hæc conclusio non sequitur: cujus ratio in objectionibus dicta est.

Et sane miraculo quo postea de quinque panibus à Jesu cælesti benedictione multiplicatis quinque millia hominum satiatum sunt. Hæc similitudo etiam ad probandum ejus propositum non valet: quia Augustinus eo modo multiplicationem illam factam dicit, super Joann. tract. xxiv. sicut ex paucis granis crescunt multe segetes: quod quidem per attractionem humoris à terra certum est fieri.

Cum Angelorum ministerio facta sit mulieris formatio, non est eis tamen tribuenda creationis potentia. Quod quidem ministerium esse potuit in separatione costæ, & in congregatione materiæ, ex cujus conditione corpus mulieris formatum est.

Tamen propter effectus diversos pluraliter dicit Augustinus causas primordiales omnium rerum in Deo esse. Et hoc est secundum quod dicuntur plures idæ secundum diversos respectus ad creaturas, ut supra in I. Libro dictum est.

DISTINCTIO XIX.

De primo hominis statu ante peccatum, scilicet qualis fuerit secundum corpus, & secundum animam.

Solent quæri plura de primo hominis statu ante peccatum, scilicet qualis fuerit homo prius quam peccaret, in corpore, & in anima: mortalis, an immortalis; passibilis, an impassibilis; de termino inferioris vitæ, & de transitu ad superiorem, de modo propagationis filiorum; & alia multa, quæ non inutiliter sciuntur, licet aliquando curiositate quærantur. At prius quam ad animi qualitatem pertinetia prosequamur, de qualitate ejus secundum corpus, & modo propagationis filiorum, & de aliis quibusdam inspiciamus. Primus igitur homo secundum naturam corporis terreni, & immortalis fuit quodammodo secundum aliquid, quia potuit non mori, & mortalis quodammodo, quia potuit mori. In illo namque primo statu habuit posse mori, & posse non mori; & hæc fuit prima humani corporis immortalitas, scilicet posse non mori. In secundo vero statu post peccatum habuit posse mori, & non posse non mori: quia in hoc statu moriendi est necessitas. In tertio statu habebit posse non mori, & non posse mori: quia ad illud statum pertinet moriendi impossibilitas, quod ex gratia erit, non ex natura. In primo statu fuit corpus hominis animale, iedens alimonis ciborum: unde & homo factus esse dicitur in animam viventem.

In II. Sent. Tom. II.

(1) *Al. deest homo.* (2) *Supple facta fuisset, videretur.*